

TRACTATUS  
THEOLOGICI,  
ET CANONICI

L A E L I I Z E C C H I C A N O N I C I  
ET POENITENTIARIII BRIXIEN.  
Sacrae Theologiae, & I. V. D.

I N Q V I B V S T R I P L I C I M E T H O D O  
*quaeque materia proposita,*

Scholastice primum, adhibitis etiam tum sacrarum litterarum locis, tum Canonum  
Decretis, tum Sanctorum Patrum, & Iuristarum testimonijs,  
strictim & dilucide tractatur.

Deinde Sententiae Sanctorum Patrum, & quandoq; Philosophorum eidem materiae  
conuenientes in vnum collectae adiunguntur.

Tertio demum Haereses, circa eam materiam quocunque tempore  
exortae recitantur, & refelluntur.

Tomus Primus.

DECEM LOCOS THEOLOGICOS, ET QUaecunqve ad  
materiam de Theologia, de Iu. Can. & Ciu. de Deo, de Christo,  
& Beata Virgine pertinent, complectens.

QVI VERO TRACTATUS HOC VOLUMINE CONTINEANTUR,  
& eorum singulorum Capita, subiectus Index exponit.



*de la Libreria N.*



B R I X I A E,

Apud Vincentium Sabbium. M. D. XCI.  
De Consensu Superiorum.



ILLVSTRISSIMO

AC REVERENDISS,

D. D. IO. FRANCISCO S. R. E.

CARD. AMPLISS. MAVROCENO,

ET BRIXIÆ EPISCOPO.

L AELIVS ZECCHVS. S. D.



VI Episcopatus initio, CARD. AMPLISS. cum tibi gratularentur ciues omnes, & alij alijs significationibus deuinctos animos, & obsequentes offerrent; memini me diu multumque excogitasse quo potissimum genere gratulationis, quod nō ita facile flaccesceret, obseruantiam erga te meam tibi ante oculos ponerem. Optabam non vulgari, aut breui casuro

# DE LOCIS THEOLOGICIS.

LAELII ZECCHI CANONICI

Brixien.

Duo argu-  
menta pro  
bandi repe-  
riuntur.

**N**otandū primo pro intelligentia horū locorum, omne argumentum, vel ex ratione, vel auctoritate duci: his enim duobus modis cuiusque rei, quæ in controuersiam uertit, assensus fit. Et cum in alijs disciplinis ratio primū locum teneat, in Theologia tamen, & iure Canonico, non tam ratio, quam auctoritas in disceptando attenditur: ratio uero ut pedisequa, & peregrina ac adiutrix adhibetur: cum enim fidei potissimum innitatur, eaque non nisi ab auctoritate proficiatur, si ne auctoritate non modo fides esse; sed neque intelligi potest: ratio uero adiungitur, ut ostendatur impossibile non esse, quod fides docet, & ut auditor fortius vincatur, & suadeatur. Quò fit ut auctoritas, & ratio Theologo sit necessaria, sic tamen, ut auctoritas primas in theologia partes obtineat, ratio uero postremas: Vnde & loci decem quibus fides fiat à Theologo assumunt, ad quos ut ad sedes argumentorū quibus fidem faciat, recurrat, inter quos primi traduntur qui ab auctoritate, secundi qui a ratione naturali oriuntur: sic tamen ut non ita innitatur intellectus rationi naturali, ut spernat auctoritates Ecclesie: vnde Eusebius 5. lib. hist. dicit quosdam peruertisse totam theologiam naturali ratione, quia ut dicit Aug. epist. 56. ad Dioscorum, & Bern. epist. 189. fundamentum nostræ theologiæ est ueritas reuelata, quæ si non creditur euertere theo-

logia, ad quæ uitanda Dam. lib. 1. de fid. c. 1. & 2. dat regulam, dicens, duo esse genera credibilium, quædam superant captum humanum, & naturalē, ut mysterium Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, & huiusmodi: quædam aliquantulum ratione naturali cognosci possunt, ut Deum esse unū, & c. & hæc licet nobis proponantur, ut credita, possunt tamen aliquantulum, licet non euidenter, demonstrari ratione, prima uero non, sed bene demonstrari non esse impossibile, quod fides docet: non enim possunt probari a priori, quia nullam habent causam, nisi uoluntatem diuinam, uel a posteriori, quia effectus creati non ostendunt: exempli gratia, Deum esse trinum, sed potius unum, ideo ratio non est in rebus theologicis adhibenda, ut per eam, uel per causam aliquid credatur, sed solum ut iuuetur, & consoletur credentes, uel per eam melius credita intelligant, ut not. clem. Alex. lib. 4. & 5. Strom. qua ratione exemplis etiā, & similitudinibus, ad melius intelligendum utendum est, ut obseruauit Aug. à lib. 9. usque ad 15. Trin. inclusiue, & docet lib. 1. de doctr. chr.

2. Notandū, quod decem sunt loci theologici, licet D. Th. tantum quatuor enumeret, secundum ordinem quem Canonit in li. de locis theologicis, Primus est ex auctoritate sacrarum litterarū, Secundus ex traditionibus, Tertius ex auctoritate uniuersalis Ecclesie, Quartus ex auctoritate Conciliorum, Quintus ex auctoritate Romani Pontificis, & hi 4. continentur uirtute in primo. Sextus ex auctoritate sanctorum Patrum,

A  
trum,

sentialis, ergo. Quod si significaretur esse quid deprauatum in naturalibus nostris, nil est id contra nos, illud. n. de prauatum non erit sub ratione peccati. Locum Ieronimi male exponunt, non. n. sequitur regulam Augustini in expositione scripturæ, non. n. licet cui-libet eam interpretari, aliter nil est firmum, si S. S. dicit sanctificatus cur dicit hæreticus segregatus, & si Paulus segregatus sit in Euangelium & Ieremias etiam, tamé alia ratione scriptura multa prædicat de Ieremia non ita de Paulo, & sancti patres vere exponunt locum de sanctificatione a peccato. Ath. ser. 4. contra Arr. Ilar. 119. Psalm. eo loco, incolatus meus, Ieron. in 1. capit. Hier. Orig. hom. 7. & 10. in Lucam, Ambr. 1. lib. in Lucam, ca. 1. sic exponunt, de S. Io. Baptista omnes Theologi aiunt esse sanctificatum in utero cum visitaret matrem eius B. V. docet Bern. de excellentia Ioan. Baptistæ & Amb. 4. de fide ad Petrum, & loco cit. Ieron. in illum

locum Ioan. Baptistæ, & in 1. cap. Hier. Chryl. hom. 12. in Lucam & tertia opis imperfecti in Math Ilar. loco cit. Ciril. lib. 2. in Io. c. 7. Tertullianus lib. contra Iudæos, licet hi duo patres nõ ita aperte, & Chryl. lib. de Encomio Ioã. Bapt. Beda prima Hom. de visitatione B. M. chrisologus 88. ferm. & 91. eadem sentiunt, & hoc satis est contra hæreticos aduersarios.

Et ex his impositus sit finis huic primo Tomo ad laudem Dei optimi maximi, Beatissime Virginis, & omnium Sanctorum, & sub césura & correctione Sanctæ Romanæ Ecclesie, cui me & omnia mea submitto, & in nullo ab eius fide & obedientia recedere intendo, & ita protestor, & affirmo, & si (q. absit) in hoc volumine contrarium contineatur, id præter meum intentum deuiandi a fide & obedientia prædicta dictum esse protestor, & pro non dicto haberi volo.

F I N I S.

B R I X I A E;

Apud Vincentium Sabbium.

M. D. X C I.

De Consensu Superiorum.